



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacrum Misericordiae Palatium

Variis Sacrae-Scripturae Locis, Atque Septem misericordiae operibus quasi
peristromatibus exornatum

Gazaeus, Nicolaus

Augustae Trevirorum, 1618

Quanta praemia sint recepturi ij, qui sitientibus potum dederint c.13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54459)

QUANTA PROEMIA
SINT RECEPTVRI, II, QVISI-
TIENTIBVS POTVM
dederint.

CAPVT XIII.

SI præmiorum quæ te secutura sunt ma-
gnitudinem expetis agnoscere, id sanè
ò misericors tum ex scripturis, tum ab ex-
emplis, tum denique ex suppliciorum quæ
immisericordes manent grauitate poteris
contemplari: idq; tanto melius atque per-
fectius, quanto *opposita iuxta se posita magis
elucescunt*. Salomon eorum partem decla-
rat dum abundantiam temporalium inter
præmiorum amplitudines constituit. Ait
enim *Vino torcularia tua redundabunt.* *Prouerb. 3.*

Quod, non vanum friuolumq; experta
est Sancta Luduina virgo, quæ cū ex cha-
ritatis incendio vinum omne indigēti mu-
lieri tribuisset, ipsa febricitans, atque sitis
maximæ ardorem patiēs, phialam sibi (im- *Suv: 14.*
memor donationis) à patre tribui postula- *Aprilis.*
uit; quam vino optimo repletam inuenit.
Cle-

*Pedagog. lib.
5, cap. 7.*

Clemens Alexandrinus, volens tenaces ad largitatem erga pauperes inuitare, duabus similitudinibus id conatur persuadere: quemadmodum quicumque putei scaturiunt, exhausti in pristinam mensuram reuertuntur sic, largitio (quæ est fons bonus pietatis) potum sitientibus communicans rursus augetur & repletur; quemadmodum ad vbera lac solet accedere. Quod quidem præmium quia leue & exiguum videtur leuiter prætereo. Maiora namque sunt quæ à Domino, & à Prophetis promittuntur. Psalmista horum præmiorum impiger præco inquit: *Inebriabuntur ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis tue potabis eos*, qui in diuitijs huius sæculi nõ luxuriati, sed misericordes fuerint.

Psal. 31.

Isaie. 12.

Cantic. 5.

Psal. 74.

Cap. 25.

Quibus etiam per Angelos dicitur: *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus saluatoris*. Saluator autem & beatarum animarum sponsus, inquit. *Bibite & inebriamini charissimi*. Nec mirum si eis mustum præbet Dominus; quia ij sitientibus vinum, vel potum qualemcumque tribuerunt. *Calix in manu Domini* (inquit psalmista) *vini meri plenus mixto*. Esaiam ratiocinantem audiamus. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis (electis) in monte hoc, conuiuium pinguium, conuiuium vindemiae, conuiuium*
pin-

quum medullatorum, vindemia defecata.
 Tunc anima beata nuptiarum agni sponsa,
 tota formosa & pulchra consodalibus cum
 exultatione dicet: *Introduxit me Rex in cel-*
laria sua, exultabimus & letabimur in te me-
mores vberum tuorum super vinum. Iure præ-
 fert, vbera vino, nam *meliora sunt vbera tua*
 vino. Isaias autem beatos ad vbera sponsi
 ferendos esse dicit: *ad vbera portabimini*, vt
 inde fugant diuinarum consolationum re-
 frigeria, & in omni beatitudinis statu glo-
 rientur.

Cantic. 2o

Cantic. 5.

Cap. 66.

Quanta felicitas! quanta diuine boni-
 tatis elucebit magnitudo, dum beati non
 secus ac infantes, saluatoris vberibus ap-
 pensis, diuinitatis, atque omnimodæ gloriæ
 lac sugent! mirum erat vinum illud quod
 in vltima cœna suis propinabat discipu-
 lis; verum illud ipsum in cœlesti patri re-
 promissit electis: dicens: *amodo non bibam*
de hoc genere vitis, vsque in diem illum, cū
bibam illud in regno Patris mei. Illud est vi-
 num, quo repleti Apostoli, ab Infidelibus
 Iudæis, musto madere putabantur. Illud est
 vinum quod Virginum corda lætificat! Il-
 lud vinum, cuius cū gustasset suauitatem li-
 cet modicam Apostolus Petrus; eū in hanc
 vocem erumpere fecit: *Domine bonum est*


Marc. 14.

Act. 2.

Zachar. 9.

Math. 7. &
Matci. 9.

nos hic esse: faciamus tria tabernacula, Tibi
vnum, Moysi vnum, & Helie vnum. Huius
vini excellentiam, gloriæque magnitudinē
expertus Apostolus Paulus, cum in extasi,
arcana Dei esset contemplatus, aiebat: *Cu-
pio dissolui & esse cum Christo*, idque vt tanta
consolationis vinum, nouum in regno Dei
epotaret. Hoc vt reor vino inebriatus erat
B. Stephanus, cui in lapidatione (vt canit
Ecclesia) lapides torrētis dulces fuere: Ine-
briati erant & alij martyres, qui vt diuinæ
consolationis multum consequerentur ad
martyrium properabant, contemnentēs
iussa principum, aulasque regias. Quis tan-
tis auditis præmijs, in illorum amorem non
feratur? Quis modò pauperes despiciat,
quorum ratione tanta præmia pollicetur?
Quis libenti animo haustum aquæ paupe-
ri non tribuat, vt gaudium sine fine duratur-
um consequatur? vnicum dico ijs qui
illa gaudia sectantur: *Dare &*
dabitur vobis.



QVOD